



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



# CONSTANTINI IMP. BYZANTINI

Numismatis argentei  
expositio duplex,

IOSEPHI SCALIGERI. IVL. CÆS. F.

MARQVARDI FREHERI. M. F.




CIC ID C III.

EX LITTERIS ILL. V. IOS. SCALIGERI AD MARQVARD. FREHERVM.

¶ Tui nummi stemma omne ἔχωρτομῶ. Iudicium de eo meum seorsim habes. Dixi quod sentio, non quod fortasse tibi probabo. Non potui tamen hanc operam denegare, magis quia exegisti à me, quam quod aliquid sententia de eo tua adiscendum à me estimarem. Vale. Lugduni Batavor. XIII. Kal. Martij Iuliani. CIO IO CII.

Ex aliis. ¶ Scis, mi Frebero, quid de tua diatriba iudicem in Aprum Xiphian? Nihil potuisse verius dici, nihil exquisitus. plane persuasisti mihi. De illo autem grandi nummo tuo Constantini non possum satis mirari, quis factum sit. ut ex uno latere recentissimi seculi vestigia in eo essent, ex altero vetustissimi moris Ecclesia. Sed quando prodibunt monumenta illa tua de Lupaduno & Molella Ausonij? avidè expecto, eoque magis quod nihil nisi exitium à te sperare possumus. Vale. IX. Kal. Martij Iuliani. CIO IO CIII.



# IOSEPHI SCALIGERI

## COMMENTATIO.

**N**VM MVS ingens argenteus clarissimi viri Mar-  
quardi Freheri, quam recens sit, argumento sunt  
characteres arithmetici 234, 235, qui ante trecentos, aut  
paulò plures annos ab Arabibus ad nos transferunt, ac  
primo quidē dissimiles his nostris hodiernis, postea me-  
moriam proauorū hac forma interpolati, quæ hodie nobis  
in vſu est. Itaq; nūmus hic cūctus, aut conflatus est non illo  
ſæculo, quo ij à Christianis recepti sunt, sed illo, quo inter-  
polati: hoc est memoria proauorum. Præterea, an vn-  
quam à Græcis vſurpati sint, merito vt dubitem, faciūt  
libri multi Astronomici, Logistici, & computorū Ec-  
clesiasticorum paulo ante aut post euerſionem Imperij  
Constantinopolitani conſcripti, quorum omnium nu-  
meri non his peregrinis characteribus cōcepti sunt, sed  
literis Græcis. Denique illos characteres primi omnium  
Christianorum Hispani à Mauris, ab Hispanis reliqui  
Latini Christiani, ab illis Græci acceperūt, si modo ac-  
ceperunt. Et quidem concedamus accepisse, ij tamen  
apud Græcos nunquam vulgò noti fuerunt: vt non o-  
pus fuerit eos in hoc nummo cudere, vt à paucis tan-  
tum intelligerentur. Nobis igitur constat recentissimam  
quidem nummi conſaturam eſſe, formas autem incu-  
ſas & veteres eſſe, & ex aliquo vetuſto libro aut pictura  
alicuius Eccleſiæ deſumptas: cuiusmodi multas hodie  
videmus in gemmis nouitiæ quidem cælaturæ, sed ve-  
tuſtiſſimi argumenti. Nūc de formis ipsis agamus. Non  
audio clarissimum virum Abrahamum Ortelium, qui  
partem Imperatoris equitantis laudabat, tanquam non  
recentem, auersam *reſeruat* ſuſpectam habebat. Nos  
contra ſentimus. auerſæ partis argumentum longe vetu-

A ſtius

Quid indicamus, quam illud Imperatoris equitantis, cu-  
 ius pedibus subiectæ stapedæ, & omnis ornatus equi  
 quam nouitia res sit, satis produnt. Aversæ partis stem-  
 mata non vno verbo explicari possunt. Priusquam igitur  
 ad explicationem aggrediamur, sciendum apud ve-  
 teres Christianos symbola *μυστηριώδη* alia atque alia fuisse,  
 pro ratione temporum ac diuersitate nationum. Ratio  
 temporum primum, nullam formam humani vultus,  
 sed aliarum rerum admittebat: postea etiam humanæ  
 formæ admissæ. Nationes Orientales alia habuerunt, a-  
 lia Occidentis Ecclesiæ, in quibus nullum symbolū fuit  
 sine cruce, vt neque Orientalibus. Sed in Occidentali Ec-  
 clesia crux statuebatur minio lita, vt Christi fuscum san-  
 guinem designaret. Cacumen crucis corona cingebat  
 cum purpureis lemniscis, adianctæ etiam palma, vtrun-  
 que *νικητήριον* erat debellati huius sæculi, & mundi triū-  
 phati, aut martyrii, acquisiti. Hoc simplex ab initio erat  
 stemma crucis. Adiectum postea Trinitatis mysterium,  
 post debellatum impium Atrij dogma. Patrem Deum  
 designabant verba ex rutila nube erumpentia: HIC EST  
 FILIUS MEVS DILECTVS. Filius Deus Agni, Spi-  
 ritus Sanctus Deus columbæ specie significabatur. Alij  
 etiam alia parerga apponebant; XII. Columbas, quibus  
 Apostolos volebant intelligi, quatuor flumina ex rupe  
 manantia. Rupes seu petra est Christus, fluentia quatuor  
 Euangelistæ aut Euangelia ipsa. Hæc erant symbola sim-  
 plicissima illorum temporum, quum formas rerum, aut  
 animalium, non autem humanas auderent pingere. Nam  
 anchoram, nauem, piscem, columbam sculpebant, aut  
 pingebant: hominem non item. *ὃ γὰρ*, inquit Clemens,  
*ἡδὲ ἄλλων πρὸς σωπὴν ἐναποτυπώσιον, οἷς καὶ τὸ πρῶτον ἀπερίφηται.* In  
 auersa autem parte nummi propositi duæ mulieres sunt:  
 ex quo apparet symbolum non esse vetustissimorum tē-  
 porum.

porum. Argumentum tamen ostendit non esse infirmæ  
 vetustatis. Primum igitur ingens solium, aut instar solij  
 conceptaculum nihil aliud est, quam hortus ille conclu-  
 sus & fons signatus in Cantico Canticorum, per quem  
 sacrum regenerationis lauacrum designatur. Ambrosius:  
*Hic igitur sacramentum pascit Ecclesiam suam Christus, quibus  
 anima firmatur substantia. Meritoq; videns profectum eius  
 gratia concinentem dicit ad eam: Quam decora, &c. Hortus  
 conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus.* In me-  
 dio huius *καλυμμένη* *ἑγώ* extat minus labrum, quod verius  
 dixeris hortum conclusum. Nam ex eo enascitur lilium  
 conuallium iuxta illud: *Ego sum flos campi, & lilium con-  
 uallium.* de quo loco Hieronymus ad Demetriadem. De-  
 cē germina aut fructus emittit. Origenes homilia xvi.  
 in Genesim: *At verò Israeliticus honorat decadem perfecti-  
 nis numerū. Decem enim verba legis accepit, & Decalogi vir-  
 tute instructus ignota mūdo huic sacramenta diuina largitio-  
 ne suscepit. Sed & in nouo Testamento similiter venerabilis est  
 Decas, sicut & fructus Spiritus denis exponitur germinare vir-  
 tutib.* Non potuimus dare magis idoneum interpretem.  
 Inter lilium erecta est crux instar ligni vitæ, è cuius cacu-  
 mine quatuor columbæ totidē fluenta eructant. Ea sunt  
 quatuor Euangelia: quemadmodum in Ecclesia Occi-  
 dentali quatuor fluenta è petra manantia idem significa-  
 bant. Columbæ sunt quatuor Euangelistæ. Et hoc quoq;  
 cum Occidentali Ecclesia facit, quæ per columbas coro-  
 nam crucis circumstātes Apostolos intelligebat. Paulinus:

*Cui corona sunt corona Apostoli,*

*Quorum figura est in columbarum choro.* Atqui  
 duo ex Euangelistis sunt Apostoli, duo Apostolorum  
 administrati. Aqua illa, quæ instar filanorum ex columbis  
 fluens solium complet, est aqua baptismi: & deniq; omnia  
 reliqua sunt sequela baptismi. Primum duæ colūbæ sunt

A 3 in

In latere solij, interiecto serpente, superincumbente Leone. Sed columbæ cum serpente per se considerandæ sunt, postea serpens simul cum Leone. Columbæ cum serpente est id, quod Dominus à regeneratis exigit: *Estote prudentes, ut serpentes, simplices ut columbæ*. Hoc enim baptizatis occinebatur Ambrosius libro de iis, qui in initiantur mysteriis, capite IIII. post alia: *Simul & eorum, qui baptizantur, non in specie esse debet, sed vera simplicitas, unde & Dominus ait: Estote astuti, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. unde manauit illud in veteri Ecclesia prouerbiū: *μὴ γὰρ τῇ πειρασῇ τὸ ὄφιν*. Clemens Stromate septimo: *ὅτι ἄρα ἐπισηπῆσθ' ἑνὸς ἐτέρῳ ὃ ἔχων ἀναπαυόμενον τὸ θεόν. αὐτίκα πάντα τὰ ἐμποδίων καταλμαίνων καὶ πᾶσαν περιστάσει αὐτὸν ὑπερῷον φανήσας πένη διὰ τὴν ἐπισήμην τὸ ἔργον, καὶ διελθὼν τὰς πνιθυμῆκας χόσιας, καὶ πᾶσαν δόχλῳ καὶ ἐξήσίου, ἀπὸ τῆς θρόνων τῶν ἄκρων, ἐπ' ἐκείνῳ μόνον ἵεται* & *ἔφ' ὃ ἔγνω μόνον, μίξας ἐν τῇ πειρασῇ τὸν ὄφιν, τελείως ἅμα καὶ ἐν κυνέϊ τῶς βιοῆς, πρὶν ἐλπίδι κεράταις πρὸς τὴν ὁ μέλλοντ' ἀπικυδοχλῶ*. Ait hominē, qui habet in anaπαυόμενον τὸν θεόν, & omni impedimento mūdānarum rerum renunciātem (quis est ille, nisi ὁ φωτισθὴς & baptισμο regeneratus) miscere columbam serpenti. quod & loco Ambrosij adducto conuenit, & rationem tacite reddit colūbarum cum serpente subter limbum Colymbythræ positarum. Leonis verò cum serpente cōsideratio, pertinet ad victoriam de Orco & Diabolo. Chrysostomus in Psalmū XCIII. *Quis est iste Leo? qui de tribu Iuda vicis leonem, & Draconem, qui significatus est in psalmo. Item: Diabolus, qui delectatus est in primo homine captiuato, exinde captiuatus est, Christo resurgente glorificato, qui conculcauit leonem, & Draconem. Quare non possumus ignorare, cur Draco serpenti subiectus est. Assident folio vtrinq; oppositæ inuicem feminae duæ in sellis, anus stolata, & puella nuda, nisi qua velat ea quæ pudor celare iubet. Anus est Fides, puella Spes.*  
Anus

Amus fingitur, quia antiquior lege. Abraham prima credetum via, ut canit Prudentius, longè antiquior Mose. Unde & fides Tertulliano in Marcionem victrix vetustatis dicitur. Manu apprehendit, quia fide apprehendimus, quæ oculis subiici non possunt. Stolata est: quia baptismus vocabatur fidei vestimentum: ut Tertullianus scribit cap. XIII. libri de Baptismo. Et capite XII. *induere baptismum* dicit. Contra Spes & puellari specie est, quia semper viget, & nuda, quia omnibus terrenis renunciatis expedita tendit ad cælum *πᾶσαν τὴν περὶ αἰῶνας ἔλκει*, ut loquitur Clemens *ἐπερηφανήσατα*. Ideo auersantis habitu est, & canem tanquam omnes blanditias sæculi calcantis, aut omnes adlustrationes hostium Christianæ pietatis. Ideo quemadmodum canem calcat, sic colludit cū columba, quam manu dextra prehendit, simplicitatem vnicam sibi cordi esse significans. Merito autem coniunguntur ambæ, quia altera siue altera non est. Chrysostomus in caput XII. prioris ad Corinthios, commate ultimo, in editione Latina: *Quæ duo, id est Fides, & Spes, ita certa sibi mutua vice cōiuncta sunt, ut altera sine altera stare non possit. Quicquid enim Fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit*. Quid quod veteres nouum Testamentum Fidei symbolum esse dicebant, vetus autem Spei? Paulinus:

*Lex antiqua nouam firmat, veterem noua complet.*

*In veteri Spes est, in nouitate Fides.* Deniq; quid à Catechumeno exigebatur? Fides. Credo in Deum Patrē, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum &c. Spes: Spero resurrectionem. Inde illa in vetustissimis monimentis Christianorum: Credo vivere. Spero resurgere. Depositus in spem resurrectionis. Quin etiam non solum has duas coniungebāt Poëtæ Gentium, sed etiam & Fidem vestitam & anum inducebant. *Quam Spes & albo nuda Fides colit Velata panno.*

*panno— Cana Fides, & Vesta—* Cana igitur Fides & velata panno, vthic, & coniuncta Spei. Inde Clemens *παρρησιακῶ*, dixit *πρὸς ἑλπίδι κρείσσαι*, quemadmodum dixerat *μὴ γινῶ, τῇ πειραστῇ ὄφιν*, alludens nimirum ad hæc vetusta symbola. Pone fellas vtriusque astant singulæ Aquilæ, renouationem hominis per baptismum significantes. quod percepto baptismo dicerentur instar Aquilæ renouati. Ambrosius de initiandis cap. VIII. *His abluta plebs diues insignibus, &c. depositis autem inueterati erroris exuviis, renouata in Aquila iuuentutem &c.* vt nihil sit in hac nummi parte auersa, quod non ad sacramentum baptismi, & catechumenos pertineat. Postremo totus apparatus istius præstantissimi Symboli clausulam habet felicitatis regni Christi, sub quo securitas ab omni nocumento promittitur capite X I. Isaïæ, commate 8. vbi dicitur puerum cum aspidem collusurum. Ideo in labri, quod extat supra aquam, latere visitur puer cauda serpentes duos apprehendens, & secure tractans sine noxa. Quam eleganter Tertullianus in Hermogenem, capite X I. *quum restituta innocentia, & integritate conditionis pecora condixerint bestiis, & paruuli de serpentibus luserint &c.* IIII. in Marcionem, cap. XXIII: *Sed bene, quod creator hanc potestatem etiam paruulis per Esaiam repromisit, conijcere manum in cauernam aspidum &c. Et utiq; scimus salua simplicitate scriptura, nam nec ipsæ bestia nocere poterunt, ubi fides fuerit, &c.* Infra: iam tunc eidem via, id est fidei, hanc euacuationem & subiectionem bestiarum pollicetur. Propter fidem igitur hoc symbolum pueri & Serpentum appositum. Quare vides omnia inter se apta, vt aliud ex alio pendeat. Quam vetusta hæc sint, & quam falsus fuerit doctissimus vir; qui auersam partem huius numismatis suspectam habebat, ex iis, quæ disputauimus, & ex aliis, quæ longe plura afferri poterant, colligi potest. Nobis satis hæc erunt, dum doctiora iudicia aliquid melius in medium afferant. Itaq; hætenus.

# MARQVARDI FREHERI

## DIATRIBA.

*Edita prius Anno MDC. nunc leuiter recensita.*

**I**NTER nummos antiqui operis, varij generis & materiz, vix præstantiorem alium æstimare apud me amici spectatores solent hoc argenteo, amplissimæ formæ & artificij exquisiti: qui Constantini Imp. statuam equestrem vnâ, alterâ parte multiplicem quandam & *μυστηριώδη* historiam exhibet. Cuius tamen cum aliquando exemplar plumbeū C.V. Abrahamo Ortelio Geographo Regio per nepotem eius Iohannem Colium misissem, responsum ab eo ex Antuerpia Kal. April. 1598. tuli in hæc verba: *De tuo conatu in hoc genere antiquitatis sane intelligere gestio, at magis videre. Nummum plumbeum quoq; accepi tuum: at audacter dicere audeo, eum integrè non ex aliquo originem habere. à parte equitantis pro antiquo agnosco: partem auersam autem cum cruce non stem. illam appositam à funditore quodam iudico. Esse hanc partem alterius & recentioris aui, indicat pictura genius, litterarumq; forma. Quod quidem, licet præter animi mei esset sententiam, minus miratus sum, qui antea in alterius quoque docti, & harum etiam rerum docti viri, Basilij Amerbachij I. C. Basiliensis quadam ad Adolphum Occonem medicum Augustensem epistola, non absimile iudicium legissem de Constantiniano isto & alio Heracliano numismate: Heraclij, inquit, & Constantini nummos magnitudinis ingentis, nescio an videru. Heraclius apud nostros aurifices non est infrequens: & magis, etiam Strada & Golzius in Caesarib. aliquo modo expresserunt. \* Alter nummus pro Constantino Magno à quodam magni muneris loco ostensus est. Imperator consimili corona, veste & calari, equo insidet, cum inscriptione: CONSTANTINVS. IN. CHRISTO. DEO. FIDELIS IMPERATOR. ET. MODERATOR. ROMANORVM. SEMPER. AVGVSTVS. Ex aduerso dua mulieres sedent, quarum altera superiori parte nuda est: viring, aquila & crux: in medio nescio fons an puteus, ex quo flosculi cum folijs in altum ascendunt; in medio crux est, inscriptio: MIHI. ABSIT. GLORIARI. NISI. IN. CRUCE. DOMINI. NOSTRI. IESV. CHRISTI: Sed vereor (adijcit) ne pro iheſauro carbena. Nihil enim antiquum in his nummis videtur; neq; vestitus,*

\* integrè  
Lips. in Cruce  
pag. 98.

B neq;

*neq; corona, neq; equestrum ornatus, neq; literarum figura, neq; inscriptiones. Et stapes in inequo Constantini nuper esse fectum satis indicat, & quidem ab homine non satis cauto. Ut ita mirarer Goltzium inter veteres istum Heraclium retulisse, nisi id in primo opere ab eo factum esset. Hæc illi.*

Et de Heraclio illo quidem erit quod alio loco, Deo dante, dicamus. De Constantino autem isto, super quo hic nobis sermo susceptus, liquidò mihi cõstat, totum sincerum & genuinum esse: eiusq; rei sponsonem cum intelligenti æstimatore, quouis etiam pignore posito, non detrecto. Firmant me ipsa illa, quæ eruditos illos viros offenderāt, vel maximè: sculpturæ genius, litterarum forma, sermonis genus, ornatus viri & equi, omnia. Quæ ut Constantino illi Magno minimè conueniunt: (neq; verò ego pro illo emeram, aut adhuc emerem, aut ementi gratularer) ita ex eius successoribus aliquem Constantinum, & Constantinopoleos siue Orientis Imperatorem recentiore luculentissimè nobis exhibent: ut potius agnoscamus nihil in eo genere monumenti nobis superesse magis eximium. Cùm verò plures numero eius nominis post primum illum & Magnum fuerint Imperatores, & diuersa adeò cognomina sortiti, Pogonati, Copronymi, Monomachi, Irenes F. cui horum potissimum attribuiam; & an potius alicui ex Porphyrogenetica familia, quæ & ipsa plures Constantinos tulit, aut nouissima adeò Palæologa (quo magis inclino) nondum satis equidem expedio. Quod quidem certò constituere eo difficilius puto, cum illud etiam perpendo, quod est à viris eruditis eleganter annotatum, plerosq; Græcos Imperatores, seu boni ominis ergò, seu ambitione quadam affectasse CONSTANTINI nomen, ut nostri Cæsaris & Augusti, tanquam primi illius Urbis & Imperij conditoris. Quanquam nec multum referre puto, quem nominatim Constantinū nummi huius auctorem designemus, cum & emblemata (quod veluti anima talium numismatum haberi solet) nulli non eorum conueniat: dummodo constet, Byzantini alicuius è recentioribus Cæsaris esse. Qui ut *Novam Romam* urbem suam, & *Romaniam* Thraciam; ita se quoque, perpetua cum Germanis Cæsaribus æmulatione, *Romanorum Imperatores*, & (quasi illud satis non esset)

*Leuncl. in  
Pandect.  
Tunc. §. 51.*

*Cedren. fol.  
322. 407.*

esset) *moderatores* scribebant. Quod idem tituli Balduinus *Apud Godefrid monach. Annali 1203.* etiam Flander suo in Græcia dominatu vsurpasse legitur. Quomodo & Heraclius in illo celeberrimo nummo, & Iohannes quoque Palæologus in alio non minoris magnitudinis, quem aliàs (Deo volente) dabimus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ. adeoque Michael Apostolius de Mahumete, ὁ μέγας τῶν κερων βασιλεὺς τε καὶ κηδεμὼν. Addebant pro religione sua, *In Christo Dei fidelis*, ἐν χριστῷ τοῦ θεοῦ πιστός, quod eorum alia etiam de illo ævo monumenta in chartis, membranis, alijsque operibus & saxis habent: eadem prorsus forma, qua Franci quoque & Germani se *patni & gratia Dei*, χεῖρι θεοῦ, *Divina favente clementia electos* item *Christianissimos, Orthodoxos, Catholicos Reges & Principes* scribere gaudebant.

Iam picturæ sculpturæque genius utiq; à Constantini Magni ævo diuersus est: nam nec paullo melior. Cum quidem istius ævo ars illa veterum spirantia excudens æra planissime decoxisset: quæ sequentibus sæculis recuperata. in hoc certe nummo non vulgaris enitescit. Habitus Imperatoris multum cum eo qui in Heraclij nummo visitur, conveniens, proximè ab illo abfuisse huncce Constantinum arguit. Crux in diademate & pectore verbis veterum suffragatur. Ambrosius: *Sapiens Helena crucem in capita Regum lenavit, ut crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est: cum deferatur sacra redemptionis.* Hieronymus: *Regum purpuras, & ardentis diadematum gemmas, patibulis Saluatoris pictura condecorat.* Equi Thracij & generosi ornatus simplex est, frenum, antilena, sella, & postilena, absque phaleris: sed totus margaritis squalens, quod soli Imperatori competeat. Ut vel in hoc agnoscas Edictum illud in Iuris libros relatum: *Nullis licere frenis, & equestribus sellis, & baltheis margaritis & smaragdus & hyacinthos aptare.* Frenum absq; margaritis est, quippe rubricatum. Ita Cedrenus in Basilio: *ἀπὸ τῆν βασιλικὴν ἐφεσπίδα, καὶ τὸ κερκιστὰ φη χαλινὸν.* Hæc de statua Constantini: nunc ad alteram nummi partem.

Romani Principes ut in cudenda moneta non minimam maiestatis suæ partem posuerunt, eique gloriæ suæ quævis monumenta omni studio & ambitione imprefferunt: ita

B 2 postquam

*Orat. de obitu Theodos. Imp.*

*Cod. lib. II. Tit. 12.*

postquam Christo nomina dederunt, omiſſis prioribus illis, & conſuetis, & variantibus figurarum characteribus, religionem illam etiam nummis conſecrare voluerunt. Ita Conſtantine primus Crucis ſignum & characterem vt Labaro, clypeoque & galeæ ſuæ, ita etiam nummis inſculpiſit: quod inſtitutum ſucceſſores eius ſecuti conſtanti deuotione ſeruaerunt, idque diuerſis modis expreſſerunt, vt apud

*Lips. de Cru  
ce. lib. 3. cap.  
15. & ſeq.*

Antiquarios videre eſt. Poſtea ipſum etiam Dominum appoſuerunt, modo Imperatori adlatuſ, & diadema ei ſua manu imponentem (ad exprimendum ſcilicet titulum illum, quo *Θεοσεφεις* ſe vocabant, à Deo coronator, quod illorum æmulatione etiam Carolo Magno adclamatum legimus) modò auerſa parte nummi, tenentem librum vitæ, cum inſcriptione: IHESVS. CHRISTVS. REX. REGNANTIVM.

*Anton. Ago  
ſim. Dialo. 1.  
Tab. 6. 7.*

Alij deniq; in totum omiſſa ſua imagine & titulo, Chriſtum ſolum inſculperunt, cum literis: IHS. XPS. EMMANVEL;

*Cedren. fol.  
298. Glyc.  
pag. 434.*

auerſa parte modò has litteras: IHESVS. CHRISTVS. BASILEVS. BASILEON. (quod primum inſtituiſſe Iohannem Zimiſcem Imp. Cedrenus, & ex eo Curopalates ſcribunt) modo integram crucem, cū litteris IHS. XPS. NIKA. quod omnino imitati Franci Cæſares & Reges ſolenne illud in ſuis ſolidis, circa Crucem floreſcentem, fecerunt: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.* Nonnunquam etiam

*In nomocan.  
Rhet. fol. 24.*

matrem Dei virginem genetricem, inſculpiſſe auctor eſt Baſamon, & ipſe obſeruo.

Horum omnium religioſam elegantiam ſuperare volens Conſtantine hic noſter (vt pleroſque ex Græcis illis Imperatoribus miro ſtudio ſacram philoſophiam excoluiſſe, totoſque adeo theoricæ ſpeculationi deditos fuiſſe ſcribunt) in ampliſſimo iſto huius nummi orbe, cui nullum parem, certè maiorem, in Romanæ antiquitatis peculio ſuperſeſſe puto, non tantum Crucem Dominicam conſecrauit, addito elogio ex verbis Apoſtoli: MIHI. ABSIT. GLORIARI. NISI. IN. CRUCE. DOMINI. NOSTRI. IHESV CHRISTI. ſed eam etiam myſtico & elaboratiſſimo emblemate honeſtauit. In quo vt ſuo proculdubio ingenio & ætati ſatisfecit; ita noſtris, quotquot iam è poſteris meliori harum rerum ſtudio tangimur, ingenijs crucem (vt ita dicere liceat)

*Ad Galat. c.  
vlt.*

fixit,

fixit, materiemque inuenticulas illas enucleandi non ignobilem neque triuialem reliquit. In qua, vt acu omnia non tangamus, qualemcumque tamen conatum & studium nostrum quis bonus improbabit?

Statigitur terræ infossus & destitutus stipes Crucis, anguem sibi subditum & intortum elidens: in basi alueo quodam veluti labro fontano inclusus, cui aqua è duabus fistulis prorumpens illabitur. Idem in ascensu palmæ silijs & palmitibus vestitur & circumdatur: quos desuper è cacumine quaternis fistulis exundans aqua irrorat & lætificat. Assidet vtrinq; muliercula, sed diuerso habitu: quæ ad dextram, forma senili & verenda, vestitu matronali, & planè augusto: quæ ad læuam, iuuentula & procax, pube tenus nuda. Ita autem inter se oppositæ, vt quasi contendere, & altercari inter se videantur: Et illa quidem crucem aspiciens, quam & quadam velut ausa tenere videtur: ista verò vultum inde auersa, columbas duas filo colligatas quasi lusitans tractat, cateclum suppedaneum habens..

Matrona sedens ad dextram, stola prætextata & capitis velamine religiosius quiddam præferens, vultu in crucem conuerso, dominam Helenam Constantini M. matrem, & Crucis inuentricem dubio procul repræsentat. Id Constantini ab altera parte statua, id totum Crucis. emblema, id habitus honestas, ei quem ipse Constantinus gerit, non ab similibus, omnino demonstrat. *Veni*, inquit Ambrosius, *Helena Hierosolymam: cepit remissere loca sancta: infudit ei spiritus, lignum Crucis requirere: accessit ad Golgotham.* Hunc spiritum, cuius auspicio & ductu Helenæ in somnio monitæ locum Crucis defossæ, nulli mortalium tum cognitum, patefactum Ambrosius ait, fortè columba assidens designare accipienda..

Altera quæ ad læuam, Venerem exprimit: non apertiori argumento, quàm nuditatis. Nuda Venus, nudi pinguntur Amores. Tum paris columbarum, quas ludens tractat, alitū Veneri sacrarum; à qua & *Cytheriaca* & *Dionea* poetis vocantur, quam ideo curru à columbis tracto inuectam pinxit antiquitas. Hanc vultu intento quasi increpare, execrari, & abigere Helena videtur: re inde repetita, quod idonei scri-

ptores prodiderunt, ædem Veneris eiusque idolum eo loco constituisse, vbi è rudetibus ruinisque opera Helenæ postea tandem crux Christi eruta fuit: idque à paganis ideo factum, vt Christianos à veneratione loci arcerent. *Ea tempestate* (ait cum primis locuples testis, Sulpitius Seuerus) *Hadrianus existimans se Christianam fidem loci iniuria peremturum, in templo ac loco Dominicæ passionis Dæmonum simulacra constituit.* Et postea sub Constantino: *Helena mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolyman agnoscere concupisceret, reperta ibi idola ac templa prociui: mox regni vsa viribus, basilicam in loco Dominicæ passionis constituit.* At de Venere nominatim consentiunt Eusebius, & ceteri Ecclesiasticæ historiæ veteres scriptores. Adscribam verba Hieronymi ad Paulinum: *Ab Hadriani temporibus usq; ad imperium Constantini, per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulacrum Iouis, in Crucis rupâ statua ex marmore Veneris à gentilib; posita colebatur: existimantibus persecutionis auctorib; quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluerent.* *Bethlebem nunc nostram, & augustissimum urbis locum, de quo Psalmista canit, Veritas de terra orta est, lucus inumbrabat Thamur, id est Adonidis: & in specu, vbi Christus quondam paruulus vagiit, Veneris amasium placebatur.*

*Et Paulin. ipse  
epist. 11.*

Iam Crucis stipes, quæ terræ infixus est (cui rei sculptor ostiolo alueum apertum fecit) serpentem intortum elidere & comprimere apparet. Is est Draco ille antiquus: cuius virus, quo totum humanum genus infecit, sanguine Christi, antidoto præsentissimo, elutum & expiatum est. Vt ita cum Prudentio insultare illi liceat:

<i>O sortiuose serpens</i>	<i>Discede. Christus hic est.</i>
<i>Qui mille per meandros</i>	<i>Hic Christus est, liquece.</i>
<i>Fraude/que flexuosus</i>	<i>Signum, quod ipse nosti,</i>
<i>Agitas quiesca corda</i>	<i>Damnat tuam cateruam.</i>

Cætera paretga Cruci adiuncta perpetuam Allegoriam continent, ab antiquis Patribus excogitatam, qua Lignum Vitæ illam esse docuerunt. Gregorius Nazianzenus: *Θπὶ τὸ ξύλον ἀνάγεται, πρὸς ἀλήθειαν!* αἰὶνὰ τῷ ξύλῳ τῆς ζωῆς ἄσποκαθίστασιν: αἰὶνὰ σώζει καὶ λησὴν στυγερόμενον. Sed clarius Iohannes Damascenus, vbi inter Crucis elogia hæc addit: *φύλον ἀναστάσεως, ξύλον ζωῆς αἰώνις.* Et postea explicat: *τὸ πὺν τὸν τίμιον στυρόν πρὸς τὴν πύρωσιν*

*Orat. 1. de  
Filio.*

*De fide oribod  
lib. 3. cap. 12.*

τύπωσι το ξύλον τ' ζωής, τὸ ἐν τῷ ὠθεαίῳ ὑπὸ θεῷ πεφυλωμένον. ἐπει-  
δή γὰρ Δαδ' ξύλον ὁ θάνατος, ἔδει διὰ ξύλου διαρρηθῆναι τὴν αἰνάσασιν. ξύλον  
πικρὸν ὑδωρ γλυκαίνει μέλιτον, καὶ πέτρα ῥυγινυμένη, καὶ περὶ ἑαυτὴν νά-  
ματα. ὁ φῶς δ' ἐπὶ ξύλου περιβεβύληται ὡς νεκρῶσι, ὃ ξύλον τὰς νέ-  
κρον ὁρῶντας πόντον ἔχοντα Δαδ' αὐτοῖς τὴν πνεύματος, ὡς χρεῖς ἐν σαρκοῖ  
αἰμαρτίας, αἰμαρτίας ἐκ εἰδήσεως, περὶ σωτηρίας. Μώσης ἐμέγαλός, ὁ φῶς βοῶν-  
τὴν ζωὴν ἡμῶν δ' ἐπὶ ξύλου κρεμασμένῳ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν.

Eam allegoriam inuenio in veteri poematio (quod alij Cy-  
priano\*, alij Victorino Pictauiensi Episcopo tribuunt\*: &  
Græcorum etiam ingenijs idem argumentum excultum non  
dubito) tam appositè ad nostrum Emblemata descriptam, ut  
alterum ab altero expressum videri possit.

\* Fabric. pag.  
902.  
\* Patmeliana  
editio Cypr.  
fol. 534.

*Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe:*

*Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.*

*Hic ego de sterili succisum robore lignum  
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.*

*Non tamen hos illis, qui se posuere, colonie*

*Præbuit: externi fructus habuere beatos.*

Significat, Iudæis abdicatis, fructum Crucis & Messie be-  
neficia ad Gentiles peruenisse.

*Arboris hac species uno de stirpe surgit,*

*Et mox in geminos extendit brachia ramos:*

*Sicut plena graues antenna carbasa tendunt,*

*Vel cum disjunctis iuga stant ad aratra iuuenti.*

Eadem comparatione iam olim vsus Iustinus Martyr: ὁ ἀ-  
λαοσάμενος γὰρ τὸ μέγεθος, ἢ μὴ τὰ πρὸς τὸ ὁράσασθαι, ὃ καλεῖται ἱστορίαν, ἐν τῇ  
νηϊ σῶν μείνη. γὰρ δὲ ἐκ ἀρᾶς αὐτοῦ ἀνευ αὐτοῦ. Et Minutius Felix Ota-  
uio: Signum sanè Crucis naturaliter visum in navi, cum velis tu-  
mentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur: & cum erigitur in-  
gum, Crucis signum est.

*Quem tulit hoc primò maturo semine, lapsum*

*Concepit tellus. Mox hinc (mirabula dictum)*

*Tertia lux iterum, terris superisq; tremantibus*

*Extulerat rammum, vitali fruge letatum.*

*Sed hic vicinis conformiter ille diebus*

*Creuit in immensum: cælumque cacumine summo*

*Contigit, & tandem sanctum caput abdidit alto.*

Christi mortem, sepulturam, resurrectionem, & ascensionē  
exprimit: eumq; apicem & cacumen arboris vitæ constituit.

*Dein tamen ingens bisse nos pondere ramos*

*Edidit, & totum spargens portentis in orbem:*

*Gentibus*

NVMISMA CONSTANTINI.

*Gentibus ut cunctis viduum vitamq; perennem  
Præberent, morientiq; mori qui posse decerent.*

Apostolos ramos inferiores latè porrectos facit. Vbi noster glyptes in numero peccauit, duobus omissis. Nisi tamen retrò siue altero in latere hos ipsos latere interpretemur.

*Expletis etiam mox quinquaginta diebus,  
Vertice de summo diuini nectaris haustum  
Detulit in ramos cœlestis spiritus auras.  
Dulcior ore granes manabant undiq; frondes.*

Spiritum sanctum super Apostolos effusum significat, eiusq; donis linguas & pectora illorum fecundata. Figura versus istos clarissimè repræsentat.

*Ecce sub ingentis ramorum tegminis umbra,  
Fons erat. His nullo casu turbante serenum,  
Perspicuis illimis aquis. & gramina circum  
Fundebant latos vario de flore colores.*

Fontem viuificum Baptismi denotat: quem arbori Crucis glyptes noster supposuit, latices è Cruce perenne fluentes excipientem. In fontibus antiqui Silanos & Delphines faciébant, aquam euomentes: noster hic duos angues fecit (vt videtur) Amphyrioniadi puero in manibus: mero cœli lusu, nec altius examinando.

*Hunc circum innumera gentes populiq; coibant,  
Quam varij generis, sexus, atatis, honoris. &c.*

Hanc populi turbam, & quæ sequuntur plusscula, de piorum & impiorum arborem cum fonte fastidientium discrimine numismatis nostri orbe exclusa & nos omitemus. Satis fuit artificii illorum loco posuisse, & inter se opposuisse, Helenam & Venerem; quasi spiritum & carnem, Religionem & Sæculum, Ecclesiam & Mundum. Nam illa quidem & Crucem rectè aspicit, & manu læua attingit, dexterâ inde decerptum quiddam tenere videtur. Hæc auersò inde vultu, nescio quid cum columbis & catella sua lustrat. Cur? nisi quia Veneris cultores, & carni dedita turba, nihil æquè ac doctrinam Crucis, & obsequium iugumque Christianæ legis auersantur; & Crucis exercitium, quippe suis affectibus maximè inimicum, impatientissimè fugiunt & abhorrent. Hortatur deniq; omnes, vt fontis beneficio ad Arboris fructus ambrosios percipiendos festinent.



